

moderante natura, conamina sua molitur; Sed præter hæc, tempus ad operationem atque anni tempestas magis idonea pro transplantatione ad libitum eligi, ut & corpus infitioni subjiciendum congruis adminiculis ad recipiendam illam ex arte præparari disponique poterit; Quod revera maximi ad salutarem faustumque morbi successum momenti censeari debet.

De hac re vide etiam *Philos. Transf.* No. 339.

### III. *Problematis Mathematicis Anglis nuper propositi Solutio Generalis.*

**I**N Actis Eruditorum pro mense *Octobri* Anni 1698. pag. 471. D. *Johannes Bernoullius* hæc scripsit. Methodum quam optaveram generalem secandi  
 “ [Curvas] ordinatim positione datas sive algebraicas sive  
 “ transcendentales, in angulo recto sive obliquo, invariabili sive data lege variabili, tandem ex voto erui: cui,  
 “ *Leibnitio* approbatore, ne  $\gamma^p$  addi posset ad ulteriorem perfectionem, & vel ideo tantum quod perpetuo  
 “ ad æquationem deducatur: in qua si interdum indeterminatæ sunt inseparabiles, methodus non ideo imperfectior est, non enim hujus sed alius est methodi indeterminatas separare. Rogamus igitur fratrem ut velit suas  
 “ quoque vires exercere in re tanti momenti. Suscepti laboris non pœnitebit, si felix successus fructu jucundo  
 “ compensaverit. Scio relicturnum suam quem nunc fovet modum, qui in paucissimis tantum exemplis adhiberi  
 “ potest.

Hi tres Viri celeberrimi sese, jam ab annis quatuor vel quinque circiter in solvendis hujusmodi Problematis exercebant. Absque spiritu divinandi eandem solutionem cum *Bernoulliana* tradere difficile fuerit. Sufficit quod Solutio sequens sit generalis, & ad æquationem semper deducatur.

PROB.

## P R O B L E M A .

*Quæritur Methodus generalis inveniendi Seriem Curvarum, quæ Curvas in serie alia quacumque data constitutas, ad angulum vel datum vel data lege variabilem secabunt.*

*Solutio.*

Natura Curvarum secundarum dat Tangentes earundem ad intersectionum puncta quæcumque; & anguli intersectionum dant perpendiculara Curvarum secantium; & perpendiculara duo coeuntia, per concursum suum ultimum, dant centrum Curvaminis Curvæ secantis ad punctum intersectionis cujuscumque. Ducatur Abscissa in situ quocumque commodo, & sit ejus Fluxio Unitas; & positio perpendiculari dabit Fluxionem primam Ordinatæ ad Curvam quæsitam pertinentis; & Curvamen hujus Curvæ dabit Fluxionem secundam ejusdem Ordinatæ. Et sic Problema semper deducetur ad æquationes. Quod erat faciendum.

*Scholium.*

Non hujus sed alius est methodi æquationes reducere, & indeterminatas separare, absolutè si fieri possit, sin minus per Series infinitas. Problema hocce, cum nullius fere sit usus, in Actis Eruditorum annos plures neglectum & insolutum mansit. Et eadem de causa solutionem ejus non ulterius prosequor.